

# **Inauguralis dissertatio medica de somnambulatione ... / [Thomas Latimer].**

## **Contributors**

Latimer, Thomas, active 1689.  
Albinus, Bernhard, 1653-1721.  
Universität Frankfurt an der Oder.

## **Publication/Creation**

Francofurti ad Viadrum : Literis Christoph. Zeitleri, [1689]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fm8jds4x>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

INAUGURALIS DISSERTATIO MEDICA 12

De  
**SOMNAM-  
BULATIONE,**

QVAM

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
in ILLUSTRI VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. BERNHARDO ALBINO,

PHIL. & MED. DOCT. hujus PROFESSORE PUBLICO CE-  
LEBERRIMO, p.t. DECANO SPECTABILI,

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO ac PROMOTORE AD ARAM  
usque DEVENERANDO,

*Pro LICENTIA*

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

& PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE AC LE-  
GITIME IMPETRANDI,

Publico Examini exponet

IN AUDITORIO MAJORI

Anno MDCLXXXIX, d. *Maji, Horis antè, & pomeri-  
dianis consuetis*

**THOMAS LATIMER, Hamburgensis.**

---

*Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPH. ZEITLERI.*

INAGURATI DISERTATIONE MEDICA

1581

# MAIMONIDES BULGARIAE

679

GRATIOSISSIME RACCOLTAIS MEDICE CONSENSU  
INSTITUTARI LIBRIN*y*

PRÆSIDI

# BERNARDUS ALBINO

THELIX MED. DOCT. PROFESSORIBUS TURICCO CE  
TERRAMO, ET ECACAO SPETTAVIT  
DUARICESTORE, TURICO, ROMOLAE AD ANN  
1582. DEDICAVIT

PRO LICENSI

MICHAEL ART. MED. HONORIS

PRIEGI SOCIOLEID RIGELLE  
CITATE IMPATRAN


PAPPICO EXHIBITI EXPOSUIT

IN AUDITORIO MATORI


SMDCCXXVII. A. MAY. M. ANNE. 3. DOMINA.

THOMAS LAVIMER, IMPERATORIS

PARADISO IN VENETIA, IN CIRCA STYLIS



# Prooëmium.



Nimantium talis omnium est infirma ac instabilis natura, ut nec perpetuò vitam degere & continuò actiones suas exercere ac operari possint, quin necesse habeant, uti semel ac ultimò mori, ita crebras somni vices, quasi totidem mortis prævia monimenta, repetere. Somnus ille, quem quotidie experiuntur viventes, consistit in quiete & paucâ spirituum animalium in cerebro generatione, qui sufficientibus viribus instructi non sunt, ut nervorum tubulos actotius corporis musculos inflare possint, hinc fit, ut partes machinæ viventis collabescant ac activitas debita adeò deficiat, ut non viventis, sed mortis planè simulachrum repræsentetur, unde non insulsè fabulosi olim Poëtæ sororem mortis somnum appellariunt, qui loquendi mos ad nostra usque tempora inde promanavit. Vigiliæ contrà sunt, quando sufficienes spiritus animales

in cerebro gignuntur, ita ut non modò universi  
nervorum tubuli intra cerebrum inflentur, ve-  
rū & ipsi musculi œconomiae animalis expan-  
dantur, ac à spirituum animalium activitate ex-  
pedita exercitium sensuum & motus dependeat.  
Hæc duo phænomena toto cœlo diversa con-  
templanti mihi sese obtulit mirus affectus So-  
mnambulatio, mirabilis sanè inter somnum &  
vigilias status intermedius, ita ut nonnulla mem-  
bra dormiant, nonnulla vigilent & suis officiis  
ritè fungantur. Admiratione incensus ejus sche-  
ma pro modulo meo Benevolo Lectori hisce pa-  
gellis Summo annuente Numine ob oculos po-  
nere mecum constitui. Cùmque variæ morbo-  
rum calamitates perniciē humano generi inten-  
tent, illæ tamen primas obtainere videntur, quæ  
cerebrum infestant, non absurdum me fore duco,  
si mirabilem hunc affectum cerebrum mirabili-  
ter afficientem Dissertatione Inaugurali non mi-  
nus indignum, quàm lectu jucundum decerpe-  
rem. Nec abs re me fecisse videbor, si pro virili  
in ejus ratione & curatione laboravero. Ut au-  
tem propositum ad optatam perducere metam  
queam ante omnia Divini Numinis auxilium  
imis suspiriis invoco, ut suo S. Spiritu mihi jam  
& imposterum adesse clementer velit.

**S**Omnambuli ii dicuntur, qui somno sepulti è lecto  
 surgunt, dormientes ambulant, rara & quandoquè  
 mira peragunt inscii, quorum tamen evigilantes, vel  
 non recordantur, vel pro insomniis habent. Qui affe-  
 ctus adeò pasim obvius in tam diversas Medicos traxit  
 sententias, ut, cui adstipuleris tutò, vix invenias. De-  
 bita enim Magnorum Virorum Nominibus veneratio  
 palpum ferè oculis offundit & præjudicium, ab illorum  
 cruditione in nobis excitatum, ulteriore inquisitionem  
 prohibet, ac Pythagoricum ἀνθεῖ φα ingeminat; absit  
 etiam ad rationis meæ obrussam tanquam lapidem  
 lydium ut illa revocem, non enim nisi aquam regiam  
 aurum solvere novi, imbecille nimis judicium nactus  
 sum, quam ut his gordiis nodis solvendis par sit, quibus  
 Alexandri destinantur. Primarias tamen enucleabo, ut  
 discam, ut intelligam, non ut refutem, adducendo ni-  
 hilominus dubia, quæ me morantur. Saxonæ Gale-  
 nus Daniel Sennertus *Oper. Tom. 2. lib. 1. part. 2. cap. 19.*  
 affectus hujus proximam causam esse ait, fortiorum ap-  
 petitum loco motivam ad aliquid agendum stimulan-  
 tem, sensibus reliquis à vaporibus ligatis, phantasiam  
 & consequenter rationem moventibus. Ut de sensu hu-  
 jus constet, evolvi ejus institutiones medicas, ubi didici;  
 (1) Appetitum aliud esse sensitivum, rationalem aliud;  
 hunc, quod rationi, illum, quod sensibus bonum vide-  
 tur, appetere, illius actiones sæpe ab hoc reprobari, &  
 facultatem motricem motum ab appetitibus hisce impe-  
 ratum exequi, prout hic vel ille superior est. Quem-  
 horum appetituum intelligerem dubius hæsi, donec lo-  
 co supra citato discerem, quod, quamvis in homine

vigilante ratio & voluntas in loco motivam imperium  
habeant, tamen in Somnambulis voluntatis & rectæ  
rationis imperium non concurrat, aut certè, si concur-  
rit, obscurum, obtenebratum & exiguum sit. (2) Loco  
motivam esse, quæ motum ab appetitu seu sensitivo, seu  
rationali imperatum exequitur, membrum vel totum  
corpus de loco in locum transfert. (3) Sensus alios esse,  
externos, alios internos; illos esse, qui sine præcurrente  
alia facultate externa objecta sensibilia percipiunt &  
judicant; hos verò qui circa sensibilia per externos sensus  
oblata versantur. Ex horum censu esse (4) Phantasiam  
quod species sensibiles à sensu communi (qui omnium  
sensuum externalorum objecta inediantibus sensibus ex-  
ternis percipit, à se invicem discernit, absentiam eorum  
dijudicat) acceptas, vel à se formatas, diutius retineas  
diligentiusquè considerat. (5) Rationem, seu faculta-  
tem intelligentem, res à materia abstrahere & sine con-  
ditionibus materiæ, sine quantitate, sine figura cognoscere,  
intelligere res à materia liberas, infinita pene ca-  
pere, in se ipsum reflecti & semetipsum cognoscere atq;  
intelligere se intelligere, atquè duas facultates inclu-  
dere, intellectum, quo res apprehendimus, ac volun-  
tatem, qua ad ea, quæ sub ratione veri cognoscimus, fe-  
rimur. Unde hunc mihi formavi conceptum lecti sur-  
gii; Somnambulorum causam esse, quòd appetant id,  
quod sensibus bonum videtur, vel solum, vel si id appe-  
tant quod rationi, id valde esse obscurum; illud sensu-  
um desiderium corpus de loco in locum transferre per-  
ceptionem & judicium objectorum externalorum à va-  
poribus ligari, nec percipi, nec discerni, nec retineri,  
vel diligentius considerari, nec ad ea ferri licet sub ratio-  
ne boni cognoscantur. Ex quibus omnibus ut ut at-  
tentè

tentè consideratis nihil aliud mihi discere videor, quām Somnambulos, seu dormientes noctu è lecto inscios surgere, ambulare, ac mira quædam opera perpetra-re, quia aliquid sensibus & rationi bonum desiderant, quo fiat, ut corpus de loco in locum moveant, quòd ext-  
erna objecta non percipient, nec de iis judicent: seu so-  
mnambulos aliquid velle, ideo surgere, nec tamē sentire,  
multò minus de iis judicare, atquè adeò illos ideò surge-  
re, quia surgunt; quo ipso loco causæ effectus aliis sal-  
tem verbis exornatus substitui videtur. Sunt & alia in  
dicta causarum descriptione, quæ me morantur & cru-  
cem mihi figunt. Distinguitur appetitus in rationalem  
& sensitivum, hunc nobis cum brutis communem, quo  
animal præeunte sensus cognitione fertur in bonum sen-  
sile, illum voluntatem, rationis dictamen sequentem; qui  
hic obscurus est, sensitivus verò fortior. Per utrumque  
appetitum intelligitur cupiditas, qua quid fertur ad hoc  
illudve bonum acquirendum, quæ cupiditas rationem  
præsupponit, cùm cupere quid non possimus, nisi id præ-  
via perceptione cognoscamus, hoc est, ratiocinemur.:  
ambiguum hæc me reddunt, quomodo rationi sensitivi-  
vus appetitus contradistingui possit? Actio certè pro-  
pter finem, in bonum videlicet sensile ferri, non nisi ratio-  
ni competit. Si itaque sensitivus appetitus à ratione ori-  
tur, quomodo in somnambulis obscura & exigua esse  
poterit, cùm omnes actiones à sensitivo ap petitu oriri  
dicantur? Sensus à vaporibus ligari posse per video  
quamdiu sensuum organa eorumque affectiones per  
illos intelligo, cùm corpus à corpore affici posset; non ve-  
rò video, quomodo perceptiones & judicia, quæ hæc sen-  
suum nomine veniunt, ab iis affici possint. Nec capio,  
quomodo ab his communis differat sensus, qui exter-  
norum

norum sensuum objecta mediantibus sensibus externis percipit, ab invicem discernit & dijudicat, cùm sensus externi jam dum objecta sensibilia percepereint & dijudicaverint, horumque perceptio & judicum phantasie diligentiorem considerationem excludat; cùmq; omnia hæc ratio sint, quomodo consequenter ratio ab his move ri debeat, hoc est quod non intelligo? Res enim apprehendere & ad nonnulla, quæ sub ratione boni cognoscimus, ferri, intellectus & voluntatis duarum animæ rationalis facultatum sunt, quæ hic sensibus externis & internis tribuuntur. Ex quibus videtur idem esse dicere, causam somnambuli esse fortiorum appetitum loco motivam ad aliquid agendum stimulantein, sensibus reliquis à vaporibus ligatis, nec phantasiam & consequenter rationem moventibus; ac si dicerem, causam somnambuli esse fortiorum cupiditatem, qua fertur ad aliquod bonum acquirendum, quæ corpus faciat surgere perceptione & judicio à vaporibus ligatis, ut ratio non possit illa diutius retinere, & diligentius considerare & consequenter rationem movere. Quæ mihi aut tautologa videntur, aut certè nil aliud dicunt, quam corpus moveri ex imperio mentis pro re quapiam obtinenda, & tunc à vigilia prorsus non discernitur.

## TH. II.

Alia prorsus mihi promittebam ab Helmontio, cum attentione igitur ejus de Formarum ortu tractatum relegebam. Operose probat lunam non mutuatitum à sole sed proprium habere lumen, aut si à sole habeat, illud à frigido lunæ blas planè alterari, ita ut calidi solis radii in frigidos mutantur, utque luna divinæ intentionis satis faciat, necesse esse, habeat & aliā omnino lucem, qua singulis noctibus luceat, noctemque regat, atque longè.

longè alium effundendi sui luminis modum, quām quo  
solis lumen reflectit. Lunam nempe dimittere expansum lumen proprium ultrà non minus, quām citra hemisphærium āeris, aquæ & terræ, ita tamen ut actio sui regiminis lucis atque influentiæ potentiùs operetur in nocte, eamq; subinde in oppositam sibi sphæræ partem fortius influere, quām suppositam. Probat hoc exemplo eorum animalium, quæ sub densissimis tenebris eminus objecta sua distinguunt eorumque celerrimos notant motus; quos nostri oculi sub meridiè vix obseruent, quæ, cùm ex oculis nullos emittant radios per quod plures oculi videant, illudque lumen non nisi lunæ debere ortum, tandemque concludit, Noctambulones clausis palpebris clarè sub densis tenebris videre, absque vertigine, securos scandere, eò quòd lunari lumine fruantur. Non dicam quid de lunæ lumine proprio sive mutuatitio cum erudito orbe sentiam; cùm blas dicit frigidum, prædicatum non competit subiecto, motum enim stellarum localem & alterativum blas nominat, perinde est igitur atque diceret, motus lunæ frigidus. Nec video, cur luna alium effundendi sui luminis modum, quām quo solis lumen reflectit, requirat ut divinæ intentioni satis faciat? Ex utroque enim divina clucet Omnipotentia. Quæ de lumine ejus expansivo ulterius addit, non capiō; cùm enim lumen nihil aliud sit, quām pressiō à radiis solaribus in oculi retina facta quam consequitur idea luminis in mente, quomodo illa pressio ultra terræ hemisphærium expandi potest, cùm interposita terra impedit quo minus radii ad oculum perveniant, quo facto, qui idea luminis orietur? nec mihi cohærere videtur, subter terram etiam media nocte esse lumen; remotâ quippe causâ, necesse est removeatur effectus. Qui igitur

tur Noctambulones clausis palpebris clarè sub densis tenebris videbunt? lunari lumine fruentur? quomodo lumen erit in densis tenebris, & quidem ejus efficaciæ, ut clausas palpebras penetret? Aut ego igitur vehementer fallor, aut hæc simul stare nescia sunt: densissimæ nempe tenebræ sunt, id est, vel nulla penitus, vel exigua valde radiorum pressio est, & tamen clarè vident, id est, pressio radiorum solarium talis est, qualis requiritur; quæ certè manifestam involvunt contradictionem.

## TH. III.

Nec Paracelsum intactum reliqui: vult ille diem esse corporum, noctem verò spirituum; de die corpora, nocte spiritus operari; corporum somnum spirituum, vigiliam, & vice versa esse; omne quod corpus in somno inscienter facit, id in ipso spiritum facere; quòd è lecto surgant, dormientes ambulent, id universum facere spiritum corpus gubernantem; hominem talem nomine proprio vocatum evigilare, aut cadere, quia proprio nomine appellato spiritus in ipso perterrefiat, non enim minus terreri spiritus à voce hominis, quàm homines à voce spirituum, præprimiscùm spiritus elanguescat auditu nomine quod homo ipso in baptismo accepit. Licet itionis in somno causa citra angelos in nobis posita sit, si tamen in aëtum deducatur, tunc accedere angelum, qui custodiâ tam diurnâ quàm nocturnâ suo officio fungatur. Nempe cùm dormienti spiritus eundi causam suggerat, præsto esse angelum ducentem & dirigentem, primò nempe malignum, qui hominem præcipitare quærens, eum ita ducat, ut circa fenestras obrepat, tecta sublimiâ scandat; adesse interim bonum angelum, cuius malignus spiritus nescius sit, qui præservet &, ne maligni institutum succedat, caveat, huncque præsentem ange-

angelum damni multò plus avertere in dormientibus, quām vigilantibus, vigilanti enim ipsi jam antè mandatum esse, ut sui curam gerat, seque ipsum custodiat prudenter rationis à Deo illi datæ, præterquam insuper homo etiam protectorem Deum & bonum angelum habeat, quibus ceu comitibus stipatus tutò & securè ingreditur. Fragm. lib. de somniis & Philosoph. Tract. 4. & 5. Cùm de spiritibus hic adeò multa. Philosoph. Tract. 4. de discrimine corporum & spirituum evolvi, in illo spiritum & corpus contraria esse ait; spiritum corpus seducere, non verò corpus spiritum; corpus non verò spiritum, non animam peccare; corpus esse obscurum, corpus cogitare; spiritus alios esse cœlestes, angelos nempe optimos; alios infernales nempe Diabulos; alios humanos videlicet defunctorum hominum; spiritus ignis esse Salamandras; aëris Sylvanos aquæ Nymphas; Terræ Sylphes, Pygmæos, Incubos. Quo diutius circa hæc occupabar minus intelligibilià fiebant, de Salamandris, Nymphis &c. Comitem de Gabalis consulebam, sed nihilo doctior reddebar, cùm præter fabulam nihil sapiat. Corpus & spiritus suntne contraria? se ne mutuò destruunt? corpusne cogitat? talia hæc certè sunt, quæ cum ratione conciliare nequeo, huic tamen tota noctambulorum innititur doctrina. Certum quidem, & sacris literis conforme est, Diabolum pro suo possibilis nos ut educat conari, Deum verò nos custodire, sed ex hoc actionum merè naturalium causas deducere velle, est Deum ἀπὸ τῆς μεχανῆς accersere. Perterrefit spiritus auditio nomine quod homo in baptismo accepit, homoque cadit; ergone nulli sunt noctambulones nisi Christiani? Quales quæso illi fuere, quorum Aristot de generatione Animalium c. i. meminit, & quorum na-

rain Galenus lib. 2. de motu muscularum explicat? Certe ethnici: ejusdem hæc tenoris sunt cum eorum sententia, quæ vult illis hanc inter dormiendum ambulationem contingere, quibus in baptismo sacerdos aliquid verborum vel ceremoniarum omiserit.

## TH. IV.

Vix spirituosum seminis virilis nectar ovum mulierem irrigat, quin successivè membrorum emergant stamina & ichor vasa & corpore pervadens modò lutei coloris, modò rubiginosi, rubescente demum sanguine paulatim se prodat. Adolescunt tenera stamina & solidiora poros constanter adipiscuntur singulares, in quos tum iteratis micationum ictibus adigitur crux, ex eo à poris continere nescium sequestratur & in alterius naturæ & nominis liquorem coit, cuius dispendium in ventriculo & intestinis reperiendum lac refarcit, donec embrio robur naestus, se vivere motu & quandoque vagitu prodat, tandemque egressurus calcitratioibus matri molestus excludatur. Hic omnium inops, indigus tamen omnium, inter nutricum brachia hæret, suo nec dum brachia nec pedes funguntur officio, sensuum usu magnam partem destituitur, rationis vestigia vel nulla, vel paucissima exerit, totaque vita perpetuus videatur somnus, nisi palpebrarum diduictione atque clamoribus se vigilare adstantes moneret. Succrescente ætate rationis scintillæ paulatim in luculentiorem flammanam facessunt, incipit in corpus dominari & in sensus & motus plenum exercere imperium, & ita quidem, ut, quæ sub nativitatis primordiis tota videbatur otiosa, jam nihil minus sit, sed sopito etiam corpore corporearum rerum imaginibus delectetur & variis insomniis ludat. Quorum natura quantum ad præsentem affec-

ctum

Etum requiritur, ut indagetur, præsuppono ex Anatomicis.

## TH. V.

Corporis humani structuram totam esse mechanicam: omnis caro ejus in musculos distributa est, seu caro ejus non rudis & indigesta moles, sed in portiones certas divisa est, quæ communi & propria membra na vestitæ ex fibris tum nerveis, tum carneis, venis ac arteriis componuntur, quorum omnium ea est connexio, ut carneæ musculi fibræ (quas si tendinosas appellare velis non est quod repugnem; musculus enim plures aquâ dilutus omnes & carnosas & tendinosas ita dictas fibras habet albas, quæque non aliter ab invicem differre videntur, quam quod hæ graciles, subtilles & compressæ propter minorem porositatem sanguinem non adeò admittant, illæ verò spongiosæ à sanguine humectentur) circa finem intortæ coalescant, communemque funiculum constituant, licet toto tractu maneant singulares, cuius ideam redimiti mulierum cincinni referunt: (aprimè enim hic notandum esse ait Nic. Stenonis de musculis & glandulis p. m. 21. in utroque tendine ut ut tenui, totidem esse filamenta sibi mutuò incumbentia, quod in ventre numerantur carnes, qui fiat, ut ventribus compactiores sint tendines; deinde interiora filamenta tendinum exterioribus semper esse breviora, & hinc in eodem ordine fibræ licet totæ quæ carneæ sunt, inter se sint æquales, tendinosarum tamen utrinque partium certam servent inæqualitatem:) atque in caput & caudam faceant, quæ in medio ab invicem distant, & sanguineorum vasculorum ramifications in relicta admittunt interstitia, quæ vascula una cum innumeris fibris transversalibus

reticularem componunt membranam, quæ fibrarum fasciculos investiat & colligat. Cùm enim nervus musculum ingressus tunicam exteriorem deposuit, ut cum tendinosarum fibrarum extremis proximè musculum investiat, propagines has transversas emitit & fibrillas musculosas in fasciculos musculares colligit. Curiosior anatomia, quam microscopiis & industriæ D. A. van. Lewenhœck acceptam ferimus, quasvis carneas fibras ex aliis fibrillis esse coagmentatas, hasque rursus ex aliis esse, detexit, in quarum singulis eadem, quæ in toto musculo, structura est, adeò ut quælibet fibræ & fibrillæ sui generis musculus sint, computo Epist. 3. Mart. 1682. data, quamlibet fibram ex 3181. fibrillis, quarum præter propter 1000000. pollicem quadratum explet, subduxit, nec sine ratione suspicatur, quòd, cùm quilibet musculus ex tot millenis fibris constet, quarum quælibet exiguum musculus sit suis membranis tectus, & harum fibrarum quævis ex fibrillis composita sit, hæc totidem sint musculi ex aliis minoribus iterum musculis compositi: Observavit idem fasciculorum fibrosorum prismaticorum transversim sectorum extrema ab invicem discerni & patulas inter illos esse vias. In singulis seu dicam fibrillis, seu muscularum fasciculis, plicas modò circulariter intortas, modò flexuosas, ceu totidem elateres annotavit. Cùm verò advertente Nic. Stenonis de musculis & glandulis p. m. 19. nulla in ullo musculo facile reperiunda fibra, unam rectam, quæ constituat lineam, sed singulæ in tres minimum lines, qvæ duos angulos alternos comprehendunt, divisæ sint; nec ipsæ hæc tres lineæ semper rectæ, sed sæpe caro, interdum & tendo curvam efficiant lineam, ab earum verò juxta se situ musculi nominentur, illas

ad

ad figuras mathematicas ingeniosissimus vir Joh. Al. Borellus de motu animalium *cap. 2. prop. 3.* reduxit, ostendendo; alios prismaticos, directos, rhomboidales, decussatos, peniformes, radiosos, sphincteres, circulares, spirales, orbiculares alios esse musculos.

## TH. VI.

Præsuppono secundo carotides cervicalesque arterias non tantum utramque alluere meningem, sed ipsum innumeris circumfluis rivis irrigare cerebrum, quarum nonnullæ quasi solitariæ capillaceos insurculos abeunt in cinereum cerebri substantiam inferuntur; aliæ in retiformes piæ meningi subtensos plexus abeunt, aliæ medullæ, cerebello aliæ prospiciunt; Aliæ verò simul coéundo mirificè in semet ipsas contorquentur, convolvuntur, ut ita in semet ipsas inflexæ & ad invicem inclinatæ, simulq; coéuntes inter binâ receptacula sellæ turcicæ lateribus apposita, in rete mirabile; aliæ ventriculos cerebri subingressæ in plexus choroides desinunt, de quo consulatur R. Vieussens Nevrograph. Universal. lib. I. cap. 6. & 7. Corticem cerebri minimarum glandularum proventum & congeriem esse, quæ desinant in albas nervorum radices, ita ad invicem adaptentur, ut exterior cerebri superficies harum congerie formetur, & figuram ovalem, ita ut intermedia plurima spatia ferè æqualia sint, habeant, observavit M. Malpig. cap. I. de cortice cerebri. Glandulosus iste cerebri cortex ex meris variæ magnitudinis coagmentatus est vasis, quorum incomprehensibilis adeò est tenuitas, ut si unicum arenæ granum in 64000000 particulas divideretur, nullatenus illarum aliquod horum vasculorum cavum subingredi posset; Lewenhœck Epist. 25. Julii 1684. exarata. Teste supra laudato Malpighio

pigio interior corticis pars à se promit fibram albam, nerveam, ita ut ex multiplicium fibrarum connexu & fasciculo alba medullaris cerebri substantia emergat. Qvod medullare corpus visum est C. Fracass. de cerebro, non homogenum, sed quoddam concretum, conspicuis fibris, ad minima diversimodè positis compagm servantibus, medullamque esse veluti filis mutuò acomnifariam nexionis grandem spongiam; qvarum fibrillarum aliæ aliis, dum situm naturalem servant, adeò proximè juxta ponuntur ubi glandulosæ nullæ particulae ipsis inseruntur, ut sensile nullum inter ipsas relinquantur spatiolum & continuum constituant corpus: qvemadmodum interiores baculi fibrillæ, licet ipsarum aliæ ab aliis separabiles sint, continuum alterum corpus baculum nempe componunt. R. Vieussens Nevrograph. *Univer lib. I. cap. 10.* qvod etiam affirmat A. Lewenhœk loco citato, qvi has fibras vasa esse unam centesimam partem pili crastitiei circiter adæquantia, humorem crystallinum vehentia, reticulariter sibi innixa esse, cum industria observavit. E binorum cerebri hemisphæriorum cinerea substantia emergunt medullares fibræ, qvæ totam ferè ventriculorum efformant cameram, in cuius caverna plexus choroides reperiuntur, qvi à postica ventriculorum regione ad duplicem usqve fornicens radicem exporriguntur, qvi plexus supra glandulam pinealem, qvæ per duas radices medullares insignes parti subjectæ affigitur, velut supra fibulam suspenditur, & in debita expansione continetur, *Willis de cerebro cap. 2. & 14.* Tenuissimæ fibræ medullares, qvarum unaqvæque propria obducitur tunica simul coalescunt & in album ac terres abeunt corpus intra qvod à dicta membrana totidem distincti formantur tubuli, medullaris

laris substantiæ reconditoria ab arteriis venisve irrigantur, quod postquam è vertebrarum emersit specu, in multas propagines divisum, omnibus corporis partibus implantatur.

## TH. VII.

Præsuppono tertio singulis cordis pulsibus canales arteriosos subingredi sanguinem, qui pistilli instar omne illarum cavum opplentem cruentem in minutissimos adigit tubulos, eoque impetu simul vim infert, quæ ambitum arteriarum circumscribunt, tunicis mediæque tunicae cartilaginosas annulares & renitentes fibras dilatat, quæ impetu illo paululum remittente elateris instar naturali statui se restituunt, statim rursus ab exiliante è corde sanguine distendendi, & sic alternatim dilatatio & contractio arteriarum se excipiunt. Sangvis suam redoleat profapiam & sola corpusculorum, sive molem, sive figuram spectes, ineffabili diversitate se commendat, quas omnes intestinus motus ita invicem connectit, ut sensibus primo homogeneus videatur. Cùm ad aortæ, sive bivium dixeris, sive trivium, pervenit, ex legibus motus, quibus non minus minima quam maxima naturæ obediunt, levissima ac subtilissima, quantum nempe tanta particularum confusio patitur, rectè ascendendo calvariæ ingrediuntur, ubi, sive per plexus distribuantur, sive anfractus glandulosos corticalis substantiæ, sive rectos medullæ cerebri tubulos subeant, propter ineffabilem vasorum parvitatem omnino maximam acquirunt superficiem, vicujus indefinitæ parvitatis corpuscula majoribus pariter & minoribus contermina poris, dum à continuis sanguinis trusionibus urgentur in salebrosis his angustiis, ex his elabuntur & pars tubolorum occupat interstitia, à subsequentibus in ampliores cerebri ca-

vernas expellenda, pars ex plexus choroidei poris his obviat & in his antris simul asservantur. Idem facile & in aliis intellecteris partibus, dummodo propter vasorum enarratis modò, majora, si illa nervorum exceperis sanguinemque minus subtilem vehentia, crassioris consistentiæ humores sequestrari debere reputes, & ideo hos humores pro nutritione partium circulantes, illos verò spiritus animales appellare solent.

## TH. VIII.

Ex dictis spontè fluit totam cerebri, nervorum, musculorumque substantiam non modo concuti, ejusque fibrillas tremere, dum tanta vi expulsis humoribus innatant, imò canales tubulosve iis turgidulos fibras ab invicem removendo partes reddere molles & succiplinas, ut vel hoc nomine ad motum sint indifferentes, quomagis ad fluidorum naturam accedunt. Primo etiàm obtutu patet eodem semper alveo fluentes ab eadem scaturigine oriundos omnes fibrarum villos versus eandem direxisse plagam, ut illis innatando motum illorum non retardent ; propter constantem situm & rigidiiores factos reflecti nescios esse ; quoties verò fiat, ut aliqui non quidem frangantur, sed plicam nanciscantur, omnem occludere tubulum & valvulae instar regurgitaturis humoribus obicem ponere, eò quidem valentorem, quo retrofluentes magis eos fulciunt. Fluctus & undas tandem agerent, ni eodem tempore per lymphatica partim, partim per insensibilem transpirationem totidem abirent quot de novo alluunt. Impossibile, imò foret musculos alternatim distendi & contrahi, nisi praeter nominatas & aliæ adessent viæ, qua vicissitudine perpetua antagonistas subingredi possint, qui nec dilatari possent tubulis ab humoribus distentis, nec in-

nota-

notabilem adeò molem attolli, nisi ille humorum æstus hunc ingrederetur. Constat ex præcedentibus thesibus fibrosam cerebri substantiam in funiculos sua obductos tunica compingi, atque ita continuo tractu hinc inde surculos musculis implantare, illorumque partim contexere tunicam, partim propaginibus transversi subtægminis instar in musculos fasciculos colligere, quo fit, ut pro nutritione partium circulantes humores & ipsius ritus animales corporis continui habeant rationem, ut presso alterutro alterum oppido moveatur, non quidem incertis fluctibus sed juxta fibrarum villorumque decursum regurgitationi resistentium à cerebro in musculos non verò vicissim, quod à priori & posteriori facile quidem probatur, imò à quamplurimis jam dum probatum; cùm tamen Excellentissimus D. Joh. Bohn, ante biennium in Programmate quodam sibi ab Academiæ Pisanæ Lumine Clarissimo Bellino communicati experimenti, quo dicta ad sensum confirmantur, faciat mentionem, id totidem verbis subjiciendum censui. Cani vivo, aut qui modo exspiravit, quam citissime, & circumspicte elevetur ac removeatur sternum, septi vero pars anterior à costis liberetur, ita tamen ne nervi phrenici lacerentur: horum alteruter prope cor, digitis v.g. manus sinistra anterioribus comprehendatur, comprehensa que ad omnimodam usque compressionem, & donec diaphragma à motu planè ferietur, stringatur. Quo facto eidem nervo alterius manus digitis binis sub prioribus firmiter semper persistentibus adaptentur & aliquali compressione ad dia phragma ducantur, hacque tendentia compressiva aliquoties repetatur. Sic diaphragma ad pristinas contractiones redibit, motumque manifestum præstabit: ita tamen, ut, si superioris manus stabilis & alterius successivæ compressio-

continuetur, demum omnis septi contractio cesset. Donec utraque manu remota nervus sibi ad aliquantulum intervallum linquatur, postmodum verò eidem duplice strictura exponatur; utpote qua ratione eadem musculosa compages systoles pristinas molitur: Manifesto satis indicio fluidum quodpiam à cerebro ad diaphragma per nervos venire quo intercepto, non stagnat soluimodo, quod infra stricturam est, sed eo semel expresso non regurgitat ( sufficeret enim subsequentibus pressionibus) donec laxatis denuò meatibus novæ à cerebro affluæ suppetiæ id præstent. Uteo, unde digressus sum, redeam: si spiritus animales in cerebri ventriculis cum omni indifferentia moti specialius versus aliquem nervorum premantur, eodem instanti illi premuntur humores ad quos ille exporrigitur nervus, qui ab illo addito calcari non solùm in cincinnos crispatas fibras diducunt, sed suo conatu in vicinis antagonistisque muscularis hospitantes humores eo versus pellunt, quorum torrens tubulos ingressus fibras attollit, musculi longitudo in latitudinem abit, dum interim antagonista elongatus residuos exprimit atque prioris contracturam juvat. Arcuati cincinnorum fibroforum ductus in extenso musculo diducti ab æthere mutatos eorum poros ægrius subeunte ad pristinum situm efficaciter revocantur, & facile nimis crispatos antagonistæ denuò diducerent, nisi vim ætheris cluderent humores tamdiu donec spiritus animales mutato influxu vim ætheris juvent, atque sic alternativam muscularum diductionem & contractionem efficerent, unde tam multifarius membrorum sequitur motus, ut fidem omnem excederet, nisi sensibus nostris & rationi indies fidem faceret.

## TH. IX.

Fateberis mecum B. L. corpori organico animam  
arctissimè junctam, hujus tamen conjunctionis natu-  
ram penitus nobis ignotam esse, nec, nisi Dei bene pla-  
citum supponamus, à nobis cogitatione attingi posse: à  
posteriori saltem videmus diversos corporis motus cer-  
tas in mente parere perceptiones, & vicissim illius co-  
gitationes determinatos corporis consequi motus, &  
hoc omne est quod nobis de hac unione irnotuit; o-  
mnes humanas actiones vel ingeniosissimi mortalium  
ex his legibus fundamentalibus deducant oportet, non  
datur hic plus ultra. Omnibus illa corporis partibus  
ratione operationis præsens est, specialius tamen quod  
suas functiones exequatur in cerebro in omnium con-  
fesso, nec Te rationum serie morabor, cùm hujus loci  
non sit, sed impræsentiarum saltem largiaris rogo, ut id  
conarium esse dicam, si non ut rei veritatem, saltem ut  
hypothesin, cuius veritatem, si phænomena secutura  
non penitus evincent, verisimillimam tamen reddent.

## TH. X.

Nullâ operâ voluntarii membrorum motus ex-  
plicantur, ad quos ciendos ex Th. 8. nihil amplius desí-  
derari patet, quam quod spiritus animales pro nostro  
beneplacito in diversos nervorum determinentur,  
tubulos, fiet illa determinatio ex Th. 9. quando ex im-  
perio mentis conarion à duabus nervaceis fibrillis in  
medio ventriculorum & subtilissimo animalium spi-  
rituum latice pendulum ex Th. 6. nutat, quo versus  
enim nutabit, eò versus determinabuntur spiritus  
muscularis motus authores. Gnara non statim do-  
micii sui mens est, sed longo demum usu, qui tubuli  
quibus respondeant musculis, addiscit, unde tantam.

nanciscitur facilitatem, ut postea aberret nunquam, ut qvi infans vix balbutiebat, & aliquot annorum decursu vernacula vix loqvebatur lingvam, jam plures exoticas expedite calleat; qvi titubantes vix dum firmabat gressus, ille choreas dicit, in funibus oberrat & stupenda membrorum agilitate admirationem omnium meretur.

## TH. XI.

Sensuum notitia, cuius fundamentum altera unionis lex est, operosioribus non eget ratiociniis, dum modo enim consideremus utramque auditorii nervi portionem situ parallelo foramen ossis petrosi ingredi, & in varios terminari ramos, quorum alii cochlear basin ingressi tenuissimis filamentis per omnes laminæ spiralis gyros sparguntur, alii oblique itinere transeuntes foramen, quod patet in laqueari arcuato vestibuli in portam canalis semicircularis superioris, alia inferioris, & in ostium anterioris abeunt, pars ad fundum vestibuli protensa commune subintrat ostium, alii recipiunt ramos muscularum, ossicularum, & chordæ tympani, sicque mutua cohæsione auditus organum succingunt, videatur de his Du Verney de organo auditus part. I. Egrediuntur e calvariæ specu per exigua ossis ethmoidëi foramina à processibus mammillaribus oriundæ tenellulæ fibrillæ utraqve meninge vestitæ & in narium papillosum terminantur carnem, olfactus organum. Intra oculorum orbitas medullares nervorum opticorum fibrillæ circa humorem vitreum expansæ in retinam abeunt, dum utriusque matris filamenta in uvea & sclerotica terminantur, quorum tanta est exilitas, supputante Lewenhœckio epist. suprà citata, ut arenæ grano in-

18899744000

18899744000 partes diviso, unaqvæque pars cum illis saltem æqviparari possit. Innumeræ pyramidales papillæ reticulari involucro circumvolutæ extimam cuticulam velut ultimum terminum attingentes corporis nervosi progenies & organum tactus sunt, vide M. Malpigh. de tactus organo, papillare lingvæ corpus, qvod per totam ejus, præcipue superioris areæ, portionem membranæ instar excurrit, in basi propaginem nerveam habet, cui appenditur, gustui infervit. Qvas fibras omnes & singulas, seu si mavis illarum tubulos subingressi animales spiritus tendunt, ut ab objecto sibi proportionato commoti receptum tremulum motum cerebro inferant & pro diversa motus modificatione ab objecti diversitate producta ex Th. 9. sonorum, saporum, odorum, aliarumque visibilium & tactilium qualitatum excitant ideas, qvas sensus appellamus.

## TH. XII.

Dum sibi impressum tremulum motum nervorum funiculi ad cerebrum deferunt, ille tenerrimæ texturæ filamenta partim solitariò, partim qvatenus reticulare componunt corpus, considerata, innumerabilibus modis afficere potest, ita ut vel singulas, vel plures fibras, vel obiter, vel profundè plicet, aut in iis omnibus modis cogitabilibus sulcos ducat, aut omnis figuræ, vel molis poros imprimat, qvæ vestigia cum ea, qvam in spiritibus animalibus excitant, radicatione rerum in mente ideas non producunt solum modo, sed eos toties in mente resuscitare debet, quoties à qvavis alia causa interna denuò aperiuntur: nempe apertis iisdem vestigiis eadem sequitur spirituum radiatio & similis in mente perceptio, adeò ut mens non causam istius spirituum motus, sed ipsum motum.

con-

consideret, & juxta data illa judicet res quasdam non-nunquam præsentes, aut junctas esse, quæ tamen non sunt. Conarium etiam pro mentis imperio nutet, orientur in illa earum rerum ideæ, qvarum vestigia respiciet, atque ita res illas vel memoriâ tenebit, vel de iis ratiocinabitur. Si etiam intelligamus non esse primam vicem quòd vestigia eam cogitationem, quæ tunc menti præsens est, dederint, seu nos jam antea eam rem imaginatos fuisse, reminiscientia excitabitur. Nec conceptu difficile est, quòd si vestigium quodam reliquis notabilius sit & ab objecto quodam forteriori excitetur, sicuti ejus motus reliquos antecedit ita mentem hoc ita afficiat, ut in hujus consideratione mens tota hæreat & quasi extasin passa non nisi à vehementi satis objecto revocetur, tunc tota circa hæc occupatur, de eo ratioçinatur & judicat, reliquorum omnium incuria.

### TH. XIII.

Perpetuum spirituum impendium dicam, an dispendium, eorum annona sequatur oportet, nisi cum nutrimento reqvies concederetur; seu, ut magis convenienter loqvar, dum spirituum pauperies fit minus spirituofus sanguis debilius fermentat, pulsus langescit, pori connivent, fibræ subsident, tubuli angustantur, non dicam in toto corpore, quamquam & in illo fiat, solùm loquar de cerebro, in quo flaccidiora fiunt omnia, ventriculorum cerebri concameratio aliquantis per angustatur, de solita tensione fibræ remittunt, quo fit licet ab objectis externis nervi commoveantur, inotus tamen is vel in nervis suffocetur, aut si vehementior sit, ut ad cerebrum deferatur, aut si ita debilitatus glandulam attingat, flaccidas illius fi-

bras

bras non moveat, nullaque subsequitur perceptio, nullus fit sensus, mens de circumstantibus non admonetur, altissimum h̄ic est silentium, unde neque pro corporis indigentia in musculos determinat spiritus, quorum etiam paucitas huic imperio obstat, imò s̄æpiissimè impedit, ne olim facta cerebri vestigia relegat, sicque altissimo homo somno sepultus jacet. Donec tandem, dum iteratò cor transit sanguis, magis attenuetur, ejus corpuscula magis incidentur, auctisque fermentationibus arteriarum tunicas magis feriat, partium tubulorumque latifundia subeat, atque sic modò dictis obstaculis remotis omnibus de externorum præsentia admoneatur mens, turbaque spirituum omnibus imperatis rursus par corpus variè moveat, atque Homo vigilet.

## TH. XIV.

Dum ita per gradus fermentationes redintegrantur & omnia paulatim turgidula fiunt, cursus spirituum in cerebri vestigia fortuitò incidit, modò hæc, modò illa identidem aperit, & res, quarum vestigia aperiuntur, menti sistit præsentes, quas eo non obstante, quod vel omnes, vel aliqui sensuum sopiti sint, mens considerat, deque iis ratiocinatur & judicat, suntque illæ ideæ quandoque magis distinctæ, magisque vividæ, quam illæ vigiliarum, turbantur enim à nullis aliis, sed circa illorum considerationem mens tota occupatur, illudque præprimis si vestigiorum sulci valde sint profundi & notabiles ut memorem ad se rapiant & fortuitam glandulæ mutationem impedian. Imò si tale aliquod vestigium cum quadam animi passione junctum sit, hæc etiam statim inequitur, nec mens attendit ad reliqua, sed in illas par-

tes determinat spiritus, quæ executioni ejus usui sunt, huic enim non obstat reliquorum sensuum organa à spiritibus nec dum inflata tota esse, illud quippe ex lege coniunctionis Th. 9. non requiritur, cùm nec ipsa v. g. cæcitas huic imperio ejusque executioni obicem ponat, sufficitque menti, si ad hunc actum organis requisitis gaudeat. Dormiunt, & res, quæ non adsunt, sentiunt, sine oculis vident, sine auribus auditunt, dormientes vigilant, vigilantes dormiunt, adeò ut inter somnium & cogitationes vigilantium distingue-re difficillimum esset, quando casuali quo factum ut minimè animadvertissemus nos dormiisse, non sine ratione dicat Th. Hobbes de civitate part. 1. cap. 2. qui in eodem loco has dormientium imaginationes somnia dicit.

## TH. XV.

Ne incertus fluctuem sigillatim explicabo historiam oppidò raram, quā recenset Henricus ab Heer Observ. medic. 2. Novi senem somnambulonem mihi à primis cunis sociennum fidum. Hic (nec enim libet meminisse eorum, quæ de vulgo noctambulis scribuntur) mira in somno fecit observatione digna, & passus est. Cū admodum juvenis in celebri Academia poësin profiteretur atq; interdiu mentem in omnia versasset, ut versum ad incudem sapius revocatum melius tornaret, quod vigil nequiverat, noctu surgens, pluteum aperuit, scripsit, sapius alta voce, quod scripserat, relegit; demum cum risu & cachinno sibi ipsi aplausit: atq; contubernalem, ut secum plauderet, hortatus est, positisq; sanpaliis & ueste, clauso pluteo, chartisq;, ut vesperi fecerat, repositis, lectum repetiit, somnumq;, dum excitaretur, protaxit. Omnium, quæ noctu gesta essent, ignarissimus. Manè post oratiunculam ad studia rediens, nondum visus

visus chartis pridiana sollicitudine adhuc laborans, quomo-  
 do hiatus versuum impleret cum chartas volvens, eas imple-  
 tas ad suum libitum idque sua manu videret, syderato similis,  
 serioque sollicitus bonine an mali genii opus hoc esset, socios  
 cachinnantes cum lacrymis rogabat, si qua possent via hanc  
 sibi molestiam eriperent. His, quod gestum erat, viderant  
 enim vigiles, narrantibus, nec fidem noctambuloni facerent,  
 sequenti nocte post ambulationem in alienum lectum dedu-  
 cunt caputque cervicali, quod ad pedum locum aptaverant,  
 componunt, atque in talari veste, quam casu servaverat, sopi-  
 tum dimittunt, non nisi adulta luce, sponte ex parte facta,  
 adsistunt; omniaque et maximè surrexisse se negantem, ta-  
 liaque legisse et scripsisse facile tot circumstantiis convin-  
 cunt. Miror illum felicissima alioquin memoria, tam longi  
 in somno studii et scriptioris, observavi enim aliquando  
 tres, quatuorve horas durasse, nullam reminiscientiam habu-  
 isse. Sed hoc mirius; quod ambulatio ipsius nocturna, lectio,  
 scriptio, pronunciatio nihilum à diurna differrent, cum in  
 aliis plerumque haec omnia imperfectè, sicut in ebriis, fiant;  
 aut ut in pueris loqui et incedere discentibus. Illud miris-  
 sum, meaque captiu altius, cum multo post relictis scholis  
 uxorem duxisset omni virtutum genere eximiam, eam ta-  
 men, ut fert conjugum conditio, quadam celaret, quoties no-  
 ctu infantulum cunis ereptum ut plurimum gestans, domum  
 perambulabat comitante per omnia uxore, secretissimos ipse  
 cordis sinus rogatus patet faciebat, ad omnia uxorius quæ sita  
 verissime et sine amphibologia respondebat, ita ut à dormien-  
 te, quæ à vigili nullis extorsisset illecebris, aut artibus,  
 quæque rogare erubuisset, simplici interrogati uncula, quicquid  
 vellet, sincere et sine fuso intelligeret, mirante sapientius no-  
 ctambulo, quomodo quæ suo unius sinui credita putabat, in  
 uxorius cor, linguamque venissent. Uxor surrecturum sape vel

arctis complexibus, vel blanda prece in lecto tenere conabantur, sed frustra. Amplexam enim ad ambulationem quoties loquebatur, vel trahebat, vel amicè compellabat, alias illa altius dormiente, solus noctambulabat. Sub annum etatis quadragesimum quintum, cum scilicet & somni breviores ipsi fierent, & somniis, quibus noctambulus carebat, minus perturbati, noctambulare desiit, nec unquam se sopitus movit lecto, nisi pridiano vino venas nimium inflasset. Quem ambulantem & legentem viderant & socii & uxor, & familia observare iussa, oculis apertissimis fuisse asseverabant. Ipse tamen nihil se vidisse sanctè affirmabat. Simile exemplum habet Jac. Horst. de Noctamb. de Sene, qui adolescens surrexit, lecto se subduxit, & ad illum spontè rediit, aliis autem ætatibus nihil tale peregerit. Omnes noctambulorum actiones illos revera vigilare arguunt, oculos saltem & quandoque aures dormire, adeoque à coecis & surdis non differre insuis, quas obeunt, actionibus, qui cum ambulent, aliaque varia peragant, indicant mentem non egere illorum sensuum ministerio, sed, dummodo alia suffici-entia data habeat & instrumenta, imperata sua exequi, cum reliquum totum corpus vigilet, adeoque in nyctobatis hoc peculiare esse, quod brevisimi & maximè patuli oculorum nervi, licet à spiritibus repleantur reliqui omnes, ab iis non tendantur, sed toto corpore vigili hi soli dormiant; lunaticorum nimirum fermentationes vegetas satis esse, ut brevi temporis spatio resumant vires & passum spirituum dispendium refarciant, aut accendentibus vel animi passionibus, vel vino &c. promptissimè succendantur. Ita Paracelsus ebrius fertur noctu consurrexisse, arreptoque gladio per totum cubiculum ita sœviisse, ut sibi

sibi aliquoties periculum timuerit, postea verò iterum in lecto compositum quievisse: quod in Paracelso ebrietas, illud in ægro Petrus Salius Diversus ab animi passione de affectibus Particul. c. 18. notat, dum ait: *Alterum curavi, qui cum naturâ jurgiosus & contentious cum aliis foret, ut plurimum somniabat se cum aliquo manum conferre, indeq; è lecto surgens arma capiebat, gladiumq; evaginatum furiose vibrabat, perindeq; ac cum inimicis pugnans, undiq; parietes ac circumstantia loca percutiebat.* Simile noctisurgium timoris effectum ibidem loci narrat, dum conjugata cum marito dormiens subito è lecto exiliit, ac ad ostium properavit, expergefacta à viro tremens ad lectum regressa est, se somniasse narrans, fugere ex lecto tunc temporis voluisse ad evitandam vim sibi illatam ab homine venerem, ab ea expetente. Hic recurrere solent actiones diurnæ, præprimis si illarum vestigia animi passio fecerit profundiora; passim in hac dissertatione allata exempla, partim etiā sequens, id confirmabunt, recensent illud Actorum Eruditorum Collectores Anno 1688. mens. Jan. ex Phænom. medicis singularibus Caroli Comitis de Caballis: *Videlicet virgo erat annorum viginti, furore uterino cum frequentibus nocturnis pollutionibus vexata crebrius, quæ tandem more somnambulorum surgebat dormiens ac totâ ferè nocte circumvaga eadem sedulitate cuncta exequebatur, quæ diurnis horis destinata noverat.* Interdiu quæsita nihil eorum omnium recordari potuit, quæ tum egerat. Accidit autem, ut in furore constituta quævis obvia, ac inter illa forficem majorem in uteri vaginam violenter intruderet, seq; hac ipsa sauciaret satis periculosæ. Non mirabimur itaque ætatis decursu quandoque mutari, cùm illud peculiare nervorum opticorum,

quod à minima circumstantia dependere potest, successu temporis mutari posse, & sanguinis fermentations à priori statu longissimè recedere soleant.

## TH. XVI.

Interdiu mentem in omnia versavit, ut versum ad incudem sæpius revocatum melius formaret, & quod vigil nequiverat, dormiens scripsit, & cachinno ac risu suo applausit. Versus componere ingenii opus est, nec à corpore dependet, nisi in quantum cerebri vestigia supellecstilem verborum suggerunt, cumque hic totum ferè corpus vigilet, sine hæsitatione illa mens relegat, & quidem eò promptius, quòd sensuum objecta illi non officiant & ejus meditaciones turbent, sed illa tota circa hasce occupetur, id commodi habens, quòd meditabundi oculis clausis àque vulgo & rumoribus semoti vix obtinemus, unde nil miri, quod & hic æger, & quem scholæ alumnum memorant Ephem. Germ. Dec. 2. ano. 5. Observ. 189. dormientes concinnè adeò versus & exercitium elaboraverint. Quòd si verò integrum corpus non vigilare, aut illas corporis vigilias nō diu durare cōtingat, quòd causa illa, quæ fermentationes sanguinis succedit, aut non satis potens sit, ut illas perseverare faciat, aut ipsa cesseret, dimidiatae & imperfectæ erunt operationes, unde contingit è lecto prosilire semisopitos, & non nunquam, sed ad parva intervalla, penitus vigilare, statim denuò obdormiscere. Apud Andr. Libavium sing. p. 2. Focarius somno titubans ligna fornaci subiecturus & focum incensurus in fornacem ipsam irrepuit, lignisque compositis juxta cum magno sui periculo, si arsissent, iterum obdormivit. Lætabitur mens de absoluto penso, sibiisque cum cachinno & risu applau-

plaudet, quod hanc animi lætitiam ex Th. 9. in corpus spirituum influxus insequatur.

## TH. XVII.

Omnium, quæ noctu gesta essent, ignarissimus fuit. Quid illæ actiones cerebro vestigia impresserint, de eo dubitare non licet, sed hoc non sufficere, ut illarum reminiscamur, ex th. 12. patet, cum ad reminiscentiam requiratur, ut intelligamus non esse primam vicem quod vestigia eam cogitationem excitaverint. Quanquam & hoc quandoque fiat, ut constat ex exemplo Horstii loco citato trium nobilium fratrum in arce Bernsteinensi, quorum unus nudus in somno surrexit, indusum manibus secum abstulit, e lecto se subduxit, silens ad fenestram perrexit, funem e trochlea pendentem arripuit, & in domus fastigium prorepens, incidit in nidum picarum, quem diripuit ac dissipavit, pullos indusio involvit, iterum ad lectum se contulit, pullos cum indusio ibidem abscondit, & bene dormivit. Mane expergefactus, cum fratribus locutus nihil scivit, nisi quod quasi per somnium recordatus fratribus haec verba retulerit. Narrabo mirabile somnum, visus sum mihi surgere e lecto, ambulare, penetrare ad domus fastigium, nidum picarum disturbare, pullos afferre mecum: aliis ridentibus cum surrecturus indusum in lecto quæreret, illud pullis circumdatum, pullosque vivos invenit, omnibus ad turrim accedentibus nidum fractum expugnatumque viderunt.

## TH. XVIII.

Ambulatio nocturna, lectio, scriptio, pronunciatio nihilum à diurna differebant. Quandoque etiam

am loca iisdem vigilantibus inaccessa, nec nisi summo vitæ periculo tentanda, absque ullo discrimine superant & transcendunt, quorum postea non sine horrore meminerunt *Juvenem novi*, inquit Petrus Salinus *Diversus de affectibus particularibus cap. 18.* quisomnians, se propter negotia sua equitaturum esse, è lecto surgens, indutus vestimentis propriis cothurnisque & calcaribus appositis, super fenestram (nam in tabulato degebatur) conscendit & hinc indeque divaricatis cruribus parietem, perinde ac si equus esset, & voce & calcaribus ad cursum incitabat: hic ex somno expergefactus magno horrore correptus est, cogitans se per somnium mortem ferè sibi ex precipitio concivisse. Motus nostrorum artuum à spirituum animalium influxu cieri th. 10. evici: totum corpus vigilare th. 15. dixi: ne itaque mirere, hominem incedere qui vigilat, licet oculi doriniant. Nec magis mirum, quod inaccessa descendant, qualia modo recensui exempla, quibus Helmontii discipulum antiquum parietem musco & fæno obsitum jungas. J. B. v. Helmont de formarum ortu p. 52. Qvod inaccessa adeò intrepidi descendant ideo fit, quod manibus pedibusque solum fidant, nec pergant nisi firmo stent talo, & manibus firmiter complectantur, eoqve strictior erit prehensio, quo his solis fidunt: quod nec adeò inconsuetum, cum constans saepe sit spirituum animalium influxus in partem quandam singularem etiam reliquis omnibus sopitis. De Blanckenburgico Scholastico refert Horstius de noctamb. cap. 1. illum quotiescumque post cœnam insomnum incideret, adeò profundè oppressum, ut nulla voce, nec forti commotione excitari potuerit, & excitatus à somno, & in lectum iterum deportatus

tus dormierit quicquid verò apprehenderit, sive mensam, sive clavum in pariete, sive mantile, sive vestem, tam firmiter tenuerit, ut manus ejus vix duo aut tres aperire ac inde auferre possent, ita ut saepe vestis illi in manibus potius relinqueretur & una cum ipso in lectulum deportaretur, donec exasperatus, sponte dimitteret, quam tantum laboris cum ipso insumeretur. Si diurnæ actiones, vel iteratæ, vel cum aliqua animi passione vestigia fecerint profundiora facilius redaperientur, præsertim si causa quædam accesserit, quæ sanguinem plus solito commoveat, vel animi quædam commotio. Deinde liberi sunt ab omni affectu, nec considerant pericula, in quibus versantur, alias vertigine correpti corruerent. Qui timori & periculi considerationi obicem vigilantes ponunt funambuli talia in altis agunt, quæ inconsueti sine horrore non intuentur. Murarii, fabriqve lignarii quotidiano sunt exemplo. Imperator Maximilianus Primus cum anno 1492, templum Ulmensium inviseret, consensa turri altissima in ejus ambitu seu ora extrema ita constitisse dicitur, ut dimidiato pede foras prominenti, alterum totum præponeret, & sic intrepidè disspiceret. Nec est, quod putas, noctambulonibus peculiare esse, quod sine periculo hisce defungantur. Vide Jac Horstium loco citato, ubi nobilis Schleinicius, dum ita Lipsiae ambulavit ac tegmina ædium perreptavit, cecidit & crus fregit; fallat enim pes, vel manus luxentur, cadent.

## TH. XIX.

Uxori secretissimos cordis sinus rogatus patefaciebat, ad omnia quæsita verissimè & sine amphibologia respondebat, ita ut à dormiente, quæ à vigi-

li nullis extorsisset illecebris aut artibus , simplici interrogatiuncula, quicquid vellet, sincerè, & sine fuso intelligeret. Circa unum aliquod objectum versari animam somnambulorum notat Franc. Sylvius Prax. Med. Lib. 2. c. 33. dum ait, *somniantes plerosque ita se habere, uti homines ab externorum objectorum consideratione abstracti, & hoc aut illud objectum prius observatum seorsim secum examinantes; in somnambulis idem ferè accidere, nec omnes in objectis occurrentes circumstantias exactè ac distinctè examinare, atque singularum pondus expendere, cum aliis conferre, tandemque circumspetè aliquid de ipsis pronunciare.* Quæ prudentia cum in multis vigilantibus desideretur, quis mirabitur in dormientibus & somnambulis non reperiri, nempe quotidie contingit ut circa alia occupati , ad interrogata ex vero respondeamus , cuius responsionis oppidò pœnitet; cum igitur in nostro ægro adeò circumspecta non fuerit anima, respondit quod res fuit, uxori illa revelando, quæ aliis de causis vigilans non relasset.

## TH. XX.

Qui ambularem & legentem viderant oculis aperitisimis fuisse asseverarunt, ipse tamen nihil se vidisse asseverabat. Narrat Horstius se M. Martinum Guttenbergerum hic Francofurdiæ ad Oderam nudum ambularem & simul dormientem clausis oculis palpitando ad fenestram pergentem vidisse, loco saepius citato c. 1. addit præterea And. Libavius sing. p. 2, de noctamb. illos modo aperire oculos , modo claudere & connivere. Solent oculi primò evigilare, & ultimò dormire, quod illorum nervi sint brevissimi, & minima spirituum animalium quantitas ad illorum repletionem sufficiat, oculorumq; compalpebra-

bratio indicat, spiritus adeò paucos esse, ut ne his quidem replendis par sint, adeoq; ultimò dormiunt, statim evigilaturi, atque denuo præsto spiritus fuerint. Quòd oculis apertis nil viderint, duplicem agnosco causam: aut quod circa suum objectum anima adeò occupata sit, ut ad illos motus non attendat, quale quid meditabundis indies contingit; aut si considerem structuram nervorum opticorum, sunt pluries replicata membrana, prout in varias solent ad elegantiam plicas byssina lintea concinnari, quæ solutis quibusdam ac sectis vasorum filamentis, qvibus invicem, ac in unum plicæ illæ detinebantur, membrana priùs corrugata in linteolum explicari possunt, prout illud noviter descripsit M. Malpighius Epist. de cerebro ad Car. Fracassatum, atq; in simili Epistola de cerebro ad M. Malpighium Fracassatus approbavit: quām facile igitur fieri potest, in his plicis esse exiguum aliquam circumstantiam, quæ impedit, quo minus spiritus promptè ad oculos affluere possint; tenaciusculum quid illos morari poterit, tuncq; apertis palpebris videbunt nihil, quo ipsa de oculis aperiendis anima sollicita vel prorsus non est, eruntq; oculi clausi, vel oculorum ministerio usura, ad illos spiritus mittit, eruntq; aperti, dum alternatim hoc agit, aperti denuò connivebunt & vice versa.

## TH. XXI.

Quod nomine proprio appellati, aut alio vehementiore objecto excitati præcipites ruant, confirmant, quæ th. 18. ostendi, nempe nesciunt, in quo versentur periculo, sed mens secura his defungitur actionibus, admonita igitur periculi, attonita stupet, nec solum cessat ulterius pro corporis sustentatione de-

terminare spiritus, sed terrore perculsa imminens periculum sibi imaginatur tanquam præsens, quasi caderent, atque ita dupli de causa cadunt. Quantæ enim efficaciæ terror & periculi consideratio sint, suo exemplo Judæus apud Ludov. Vivem de anima lib. 3. quamvis longè præterierit docere potest: cùm enim tempore nocturno asino vectus domum contendere in somnum prolaberetur, asinus viæ assuetus latum profundumq; fluvium per asserem angustum transibat. Judæus die seqvente secum reputabat periculum, in quo fuerat, illudque usq; & usq; perpendens tanto terrore percellebatur, ut moreretur. Proprii nominis appellationem passim requiri videbis, nec absque ratione, multo enim facilius fibræ illæ tremunt, quarū plicas quotidianus usus familiares reddidit; nec tamen præcisè hoc reqviritur, cùm quodvis vehementius objectum fibras efficaciter concutiendo idem valeat; nempe Ducis Holsatiæ coquus apud Horstium noctambulo puteum ingressus parieti ejus digitis manuum pedumq; firmiter adhæsit nudus inducio tantum indutus aquæ gelidæ contactu exasperatus exclamavit: O mein Heil/helft mir.

## TH. XXII.

Noctisurgium per se nocivum non est, cùm tamen sæpissimè vitæ discriminem incurant, eo enitendum, ut liberentur, spes tamen est, cum ætate mutatum iri.

## TH. XXIII.

In cura Practici ad duo attendere solent, quid nempe in paroxysmo agendum sit, deinde quomodo ipsi paroxysmo obviam eundum. In ipso paroxysmo, si in præcipitijs versantur, nullatenus excitandi,

ne il-

ne illos in vitæ discrimen deducamus, refert enim ex Bodino Sennertus Prax. Med. T. 2 lib. 1. part. 2 c. 19 quendam dormientem noctu in profluentem ivisse, ulterius tamen non processisse: cum verò socius metueret, ne ulterius procederet, eumque proprio nomine in clamaret, eum repente corruisse & submersum esse. Sin verò in loco periculi experite fuerint, cum animi quadam passione excitandi sunt, ut illius vestigium altum satis fiat, nec postea noctambulent quin ejus vestigium simul occurrat. Unde bene notat Horstius l. c. cap. 9. pelvim, vel vas rotundum aquâ frigidâ plenum, eo in loco, ad quem pergit, supponi debere, ut noctambulo ingressus mobilia hæc vasa loco moveat & refrigeret sanguinem ferventem (quod hic pauci ponderis) & cadat, utq; hoc terrore & remedio expergefactus ad se rediat (quod omne tenet punctum) nec unquam postea illos noctambulare. Terrori hic curam tribuo non refrigerio, & hoc vel ipse Horstius lib. 1. confirmat: accidit cuidam, ait, ambulanti in somno, ut ascenderet rotam, qua sarcinæ attrahi & dimitti solent, in ea postea scilicet mobili federet, donec sponte descenderet. Paterfamilias hoc cognoscens & cum admiratione spectans, aliquando substernit lectulos multos, sedentem acclamat, appellatione nominis sui è somno excitat, unde ambulo terrore quodam, sine noxa tamen, cadit, neque posthac unquam in somno amplius ambulat. Alios ait ad lectum redeuntes cum in tuto essent, virgis tamdiu cæsos, donec expergefierent sponte, quod cum bis terve factum esset, nunquam amplius in somno ambulasse. Se artificem cognovisse idem ait, qui dormiens è letto surgere, è thalamo exiens, domum ferè totam per-

agrare, scalasq; nullo discrimine ascendere & descendere solitus fuerat: hunc semel nullis indumentis amictum apothecam propriam adivisse, eam clavibus aperuisse, à qua demum expergefactus ab amicis, qui ei fortè obviam facti fuerunt, maxima cum verecundia & timore, dubitans, ne inde stultus existimaretur, non amplius dormiens, sed vigilans rediit. P. Salius Diversus de affect particul. c. 18.

## TH. XXIV.

Solent hic Medici præter venæ sectionem, vitiosos, ut ajunt, humores, qui phantasiam turbantes spiritus emittunt, expurgare, melancholiam respiciendo, cerebrum cor & hepar roborando, unguentis, epithematibus, facculis cordialibus, morsulis &c. Sed cùm ex tota Dissertatione pateat, homines cætera sanos esse, & exiguum quandam in opticis esse circumstantiam, incongruum mihi videtur, sanum corpus indies medicamentis torquere, dicam an corrumpere, mihi quæ omnis cura extra paroxysmum supervacanea est.

## TH. XXV.

In diæta tamen attendendum quænam assumpta soleant dare occasionem, eaq; vitanda, cœnaq; parcior esse potest; caveat ab immoderatis animi affectibus: radios etiam lunæ vitari jubent, ne ad caput dorinientis pertingant, de quo cùm sufficientia non habeam data, nihil addam. Interim Soli Sapienti & Triuni Deo sit Laus, Honor, & Gloria.

F I N I S.



